MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS III: 1.5. 1.7.)

Melk, 1458

Seite 62r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452

Copyright: Melk, Benediktinerstift

Igitur Austresigilius natus
augino patre bituricae civitatis
indigena fuit. Parentum quidem
clara progenies. tam opulenta re-
rum nec multum dives. nec indi-
gens. sed sufficiens eorum erat ex
omnibus rerum substantia. Cumque in pueri-
cia sacris litteris fuerat institutus. et annno-
re ad robustiorem transisset in obsequio glori-
osi regis guntramni deputatur a patre. Ubi
non modici temporis spacium sub seculari
disciplina prudenter militavit. Erat regi
gratissimus. et universis commilitonibus aman-
tissimus. intantum ut linteo quo rex lotis ma-
nibus tergere solitus erat ipse proferret. et
ob hoc mapparius vocabatur. Tunc vero iam
in seculari habitu elemosinis et vigiliis et
orationibus die noctuque vigilantissime in-
sistebat. et ad celestem patriam ineffabili
desiderio anhelabat. Iam in hoc seculo fide-
liter videbatur illius inservire. cum inhian-
ter in celestibus inseparabiliter inherere cupiens.
Aliquando cepit a parentibus cogi. ut uxorem du-
ceret. Ille pro amore pudicitie castus et mole-
stias nupciarum devitans. differebat nupci-
as. Dicebat in hac causa operienda est vo-
luntas domini et potestas. quia dubium est bonam
an malam ducam. Si bonam timeo perdere
(Si malam) timeo ut non possim ea carere. Quid me in
dubium venire et super vacua sollicitudine.
que usibus mulierum solet implicari? Cum
possim liber vivere. cur me alterius mancipa-
bo servicio? Hec audientes parentes contrista-
ti ceperunt et intencius eum urgere. ut fa-
ceret eorum in hac parte voluntatem. Ille ne con-
tristare eos videretur. quos pocius ovantes
habere cupiebat. ita facturum se promisit. ut
si esset domini voluntas. faceret quod hortabantur.
Cum esset in ministerio antedicti regis
cepit secum volvere de hac causa ut quereret
quid nam ei esset addignum. Occurrit in mente (G. xiii kl. Iunii)
tres civicanos viros haud longe. equales
nacione. et rerum familiarium parili substantia
quorum nomina scribens in tria pictacia
misit ea sub altare sub palla. in basilica
sancti iohannis comminus ab urbe villono sitam.
votum faciens ut tres noctes sine somni
perceptione persisteret. et expletarum noctium
spacia mittens manum qualem dominus ei
admoveri pictacium dignaretur arripet. et
cuius in ipso scriptum nomen inveniret. eius
filiam petere deberet. Transacta una
nocte absque digestione somni. adveni-
ente altera cepit somno gravari. et cum
circiter medium noctis tempus. cum iam fere
non posset somni torpore. Flexo genu in-
cubuit formule et obdormivit. Et ecce
in visu astiterunt ei duo viri ante alta-
re senes. et decoro vultu. et unus ad alterum
cuius filiam austresegilius desponsavit.
At ille interroganti dixit. Ignoras quia
iam desponsatus est. ait Cuius filiam? Regis
iusti iudicis. In hac visione expergefactus
cepit deliberando herere. quis nam hic
esset iustus. et qui iudex fuit. et filiam ha-
beret innuptam. Cum non invenisset
dubius de acceptione ibat solito ad aulam re-
gis. Pervenit in burgo. ubi diversorium
habebat. Inerant ei hospites ibi congre-
gati. pauper vetanus cum anicula sua.
Quo viso. cepit feminola dicere. Ho-
spes substa paulisper et referam tibi somni-
um quod nunc diluculo de te vidi. Vide-
bar mihi audire magnum sonus fragore quasi
psallencium voces. et aio hospiti tuo. Ho-
mo quid est istud quod audio? Num aliqua
festivitas hodie a sacerdotibus celebratur.
ubi processio fiat? Et dicit mihi. Hospes
noster austresigilius uxorem ducit. Et ego
gavisa summa alacritate progressa in platea